

*de emulatione inter duos vtili et necessaria
finali, de instituta a Principe Jablonovic Societate lite-
ria in Acad. Leop. et premiis ab eo propositis*

Chr. 229. 33

CAROLI ANDREAE BELII

CONSIL. AVL. ET POES. PROF. PVBL.

YC
7491

ORATIO

HABITA

CVM

X 2311191

ACADEMIAE RECTVRAM

CAPESSERET

ANNO MDCCLXXVI.



LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA



CAROLI ANDREAE REITH D. M.
CIVIS AVE ET POSSE PROE TAME ORDIN

O R A T I O

H A B I T A

PER

ACADEMIAE RECTORAM

C A R E S S E T

A N N O M D C C L X V I

D I S S E R T

EX ORDINE ACADEMIAE



CELSISSIMO DOMINE
PRINCIPIS GRATIOSISSIME

CELSISSIMO PRINCIPI
I A B L O N O V I O
P A T R I.

A 2

CELSISSIMO PRINCIPI
TABLONOVIO
PATRI

40



CELISSIME DOMINE,
PRINCEPS GRATIOSISSIME,

Vel voluntati Tuae obsequerer, Domine, mitto apographon Oratiunculae, quam praesente Filio Tuo, maximae spei adolescentulo, in consessu Academiae Professorum et civium, ineundae reddurae causa, habere me nuper oportuit. *Dixi DE AEMVLATIONE*, cui Tu, Princeps Celsissime, alendae inter doctos homines, sustentandaeque, iam a longo inde tempore, multis et magnis liberalitatis Tuae documentis, providisti; et nuper admodum, instituta litteraria Societate, ita cavi-

sti in omne aevum, ut, quibus ego verbis sat dignis talem benignitatem publice laudarem, audiente Academia, certe nescirem. Igitur ita existimabis, Princeps Indulgentissime, quae de Te ad praesentem Filium dicta a me sunt, ea non magis dictata ab animo meo gratissimo fuisse, quam expressa. Expressit iste animi gratissimi sensus dicenti Rectori vota ardentissima, quae rata faciet Deus, ita confidimus, Teque, Maecenatem nostrum, longissimo tempore, salvum praestabit atque incolumem. Nos non commitemus, ut de nostro obsequio, deque illa, Domine, Tibi debita reverentia, dubitare ullo umquam tempore possis. Me, pusillum hominem, scio Te non neglecturum. Vale, sed athleticae, sed pancraticae. Ita vovet ex animo


CELSITVDINI TVAE

devotus

CAROLVS ANDREAS BEL.

8

PRINCEPS CELSISSIME,
VIRI SVMME REVERENDI,
ILLVSTRES, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI,
DECANE PHILOS. ORD. SPECTATISSIME,
CIVES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI,
ANIMOQVE MEO CARISSIMI,

uod sapientissimo Oratore laudante, Philosophus facundissimus ait, *Virutem, si oculis cerneretur, mirabiles sui amores excitaturam esse:* idem mihi, non minus vere, de litteris doctrinaque in universum omni, dici videtur posse. Inest enim in hac ingenii elegantia et subtilitate, cui comparandae impensis viribus studemus, in hoc divinarum humanarumque rerum
cogno-

cognoscendarum campo amplissimo, cuius lustrandi desiderio optimus quisque maxime tenetur, alliciens quaedam ad spectandum amandumque pulchritudo, imo vis sublimior, quae omnes omnino capiat necesse est. An potest fingi vita rectius utiliusque transacta, quam quae sapientiae studiis dicata fuerit? an dignior homine ingenuo oblectatio, quam quae est e litteris petita? an aliud laborum genus ita ab invidiae fortunaeque adversae procellis liberum, animumque ea tranquillitate recreans, quam nullius vehementia casus turber aut eripiat? Itaque eos ab omni humanitate alienos merito existimamus, qui, quamvis ad litteras tractandas facti vel instituti non sint, tamen diviniorem illarum naturam non reverentur, neque liberalis doctrinae illam quasi maiestatem agnoscant. Litterarum est, mentem hominum ad intelligendi iudicandique facultatem et solertiam acuere; earundem beneficio mores corrigi atque regi; curas dulcissime leniri, augeri prudentiam, praeclara denique multa indagari, et ad usum publicum transferri. Et haec quidem nemo nescit. Tales igitur, quis non omni vita diligat? quis non illarum causa sibi unice colendas sectandasque censeat? Vix dubites, plerosque mortalium in hanc sententiam concedere; sed cito tibi deponenda est praecipitantius recepta haec opinio.

Quemadmodum enim virtutem pauci sunt qui propterea sibi expetendam putent, quod nihil illa praestantius, humanaeque felicitati convenientius esse iudicent; pauci, quos

quos ipse decor recti, ut ait *Ovidius*, moveat, sed pars longe maxima honestum utilitate et iucundo sensu metitur, neque, si praesens commodum absit, ad recte agendum induci possit. Igitur plurimi, qui litteras curare diligentissime videntur, non illas omnino curant, sed coniunctas cum illis saepenumero illecebras. Vnde quorundam error natus est, bonas litteras mores corrupisse. Ut laudibus effusis, largissimaque honoris significatione, bonas artes celebremus, haud difficulter a se quisque impetraverit. Cum iisdem assidua flagransque perpetuis stimulis operanda est, tum vero faces quaedam admovendae sunt, quae alant nascentem flammam, augeantque. Hoc in numero honores potissimum et praemia effulgent, quae si comitentur Musas, eximium his, et imprimis placitum splendorem adferunt. Frustra certe litterarum studia commendes, ubi illaudata, et optimis vacua bonis proiecta iacent. Iacent ea semper, quae apud quosque improbantur, summi Oratoris vox est. Nam illa merces laborum nostrorum, quae ieiunis encomiis, et fugitiva delectatione absolvitur, risu digna *Martiali* visa est. Eius tale est, ad *Valerium Flaccum*, amicam consilium:

Pierios differ cantusque chorosque sororum,

Aes dabit ex illis nulla puella tibi:

Praeter aquas Helicon, et ferta, lyrasque Deorum

Nil habet, et magnum semper inane sophos.

B

Sed

Sed qui eadem via, qua ad doctrinae adyta processit, iis omnibus potitus est, quae ad vitam commode et beate agendam requiruntur, aut certe propositos videt lautissimos operae impendendae fructus: nae ille, ad prosequendum in palaestra litterarum cursum, ut fortius incitetur, necessum non habet. — At nescio, annon maior sit in provocando sustentandoque sapientiae amore, eximiorum vis exemplorum. Haec enim ante oculos ingenuorum hominum posita, accendunt animos eorum ad tentandos ausus aequales, faciuntque, ut illi propemodum sponte sua, nihil officio, parum spei tribuentes, similitudinem illustrium imaginum, quas intuentur, conentur exprimere.

Haec contentio, cui *aemulationi* nomen est, quam sit inter doctos utilis, quam necessaria, breui oratione ostendam, cui pro humanitate *Vestra* A. A. O. O. honoratissimi, benevolam audientiam facturos *Vos*, in hac tali laudatissima studiorum Vniversitate dubitandum non est. Aemulationis vocabulo, quam animi commotionem designem, iam, ut opinor, intelligitis Auditores. CICERO in Tusculanis: *aemulatio*, inquit, *dupliciter dicitur, ut et in laude, et in vitio nomen hoc sit; nam et virtutis imitatio aemulatio dicitur, et est aemulatio aegritudo, si eo, quod concupieris, alius potiat, ipse careas.* PLINIVS autem, in Panegyrico, *nihil esse ait tam proum ad similitatem, quam aemulationem, in feminis praesertim.* Eam porro maxime nasci ex coniunctione, ali aequalitate, ardescere invidia.

Adpa-

Adparet igitur, quam diverso, quam contrario sensu, aemulationis vox frequentetur. Sed mihi certum est et constitutum, nihil ea, nisi egregia omnia, hoc tempore complecti. Liceat eam dicere *studium imitandi uehementius*, aegre ferens, praestare aliquem bonis, quibus tu ipse destitutus sis. Inuidiam igitur hoc habitu referet aemulatio? Minime gentium: nihil ei cum hoc inimico adfectu commune. Non ea re angitur, quod alium bonis affluentem conspicit, quinimo lubenter in aliena gloria et felicitate laetos oculos defixos habet; id unum dolet, non eam sibi quoque contigisse; hoc votis suis, hoc omnibus viribus agit, ut in eorum quasi societatem veniat. Male proinde eum, qui virtutes bonorum virorum imitandas suscipiat, livoris accusaveris, quasi qui indigne ferat, eos probitate multos antecellere. Imo potius hoc molestum ei accidit, longius se ab eorum laudibus distare. At aemulatio est imitationis huius acrior quaedam et velut intensior species. Quo minus par est, invidiae quidquam, aut malevolentiae, in ea residere. Quid? PLATO in Timaeo docet, virum bonum nemini invidere: aemulationem autem, quam laudo, ab optimis quibusque viris non probari solum constat, sed diligi etiam, eiusque studium omni vita fervari.

Iam si locum bellae huius contentionis quaeras, aequales inter genere et conditione constituendus est. Ineptum enim est, eos velle imitando adsequi, quos aut ex-

cella fortuna evexit altius, quam ut a positis in mediocritate attingi queant. Rana, bovem magnitudine aequatura, rugosam dum inflat pellem, rupto iacuit corpore, ut est in fabulis. Aequum est velle imitari eos, qui studiis, a nostris toto coelo diversis, distinentur. At inter eos, qui vel eadem, vel certe non dissimili semita, ad bene de humano genere merendi occasionem incedunt, eoque modo ad honores, virtutis comites, enitentur, inter hos, inquam, facilis nascitur veraque aemulatio. Ut si duo viatores, urbem eandem, pari consilio, iunctisque gressibus, petant, neuter illorum sibi viam praeripi ab altero patiatur: sic illi imprimis, qui in communi patria, aetate non dispares, earundem ardent laudum cupidine, nihilque intentatum relinquunt, ut, nisi vincere socius socium, tamen aequare honestissimis quibusque facinoribus possint. Imo adeo non superstites solum aemulamur, sed etiam qui pridem e vita excefferunt, cognitos nobis commendatosque historiae manu, et dilecto nobis tramite immortalitate potitos. Ita egregius quisque belli dux, fortissimos clarissimosque non suae solum aetatis imperatores, verum etiam antiquioris memoriae admiratus, eorum exempla penitus animo condit, factisque imitatur.

Themistocles quidem, noctu ambulabat in publico, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat: *Miltiadis* tropaeis se e somno suscitari. *Julius* autem *Caesar*, magni *Alexandri* res gestas intuens, mirifice est,

est, ut nostis, *Audiores*, ad virtutem bellicam excitatus. Sed, quoniam de aemulatione doctorum hominum dicere institui, in ea maneamus. Quis nescit, cum Demosthene, qui quidem ipse dolere se aiebat, si quando opificum antelucana victus esset industria, acerrime de principatu eloquentiae certasse civem coaevum, nec indignum qui cum eo contendatur, *Aeschinem*; est etiam celeberrima summorum Romae eodem tempore florentium Orationum, *Ciceronis* et *Hortensii*, aemulatio, qui ambo gloriae forensis appetentissimi, ambo erant ad eam obtinendam natura et exercitatione facti, qui saepius in eadem causa dicentes, hic pro actore, ille pro reo, omnem vim ingenii atque oris, ne superari a se invicem viderentur, effuderunt. Vultis plura huius, qua eruditi incalescunt, contentiois exempla, *Audiores?* sunt ea in omni republica, quae litteris honorem habet, neque eas languescere contemtu patitur, quotidie obvia.

In universum autem, quae sint decora in aliis conspicua, aemulandi apud nos desiderium merito suo concitantia, levi opera intelligitur. Nam cum ad imitandum, ut ait ille, optima quaeque proponenda sint, dubium non est, quin vera virtus, multas illa formas induens, in multas recti honestique partes divisa, sed origine atque usu fere unica, dignissimum sit, quod fervida mens nostra amplectatur, exemplar. Eam perpetuo sibi constans firmitas, insignes publice privatimque fructus, veneranda denique

species, cui reverentiam amori mixtam vix quisquam negare possit, abunde produnt. Sunt tamen cavendae fallaces, quae subinde oberrant, virtutum imagines, vultum honestatis subdole simulantes. Eae quandoque attentos etiam decipiunt, cupidissimos laudum, et impetu vehementiore ad imitandum quidquid sibi primo intuitu arripserit, compulsos. Cui agitationi postquam paruerunt, secuti comptum et nitens viri inter paucos exsplendescentis exemplum, planeque persuasi, se regiam viam, quae ad gloriam ducat, delegisse, subito animadvertunt, umbram se virtutis pro virtute ipsa, pro Iunone nubem cepisse.

Nos autem, transferendo haec ad studia doctrinae melioris, necessariam valde et profuturam, iuvenum praecipue ingeniis, cautionem tenebimus. Non sunt caeco ardore aemulationis exempla arripienda, quamvis oculos spectantium infueto fulgore praefringentia. Qui litterarum gnari putantur maxime, et sapere plus quam ceteri, ii non raro coloris quidem et carnis nimium quantum habent, at roboris et lacertorum tanto minus. Scientia, quam verbis scriptisque mentiuntur, non illa vera utilisque in commune litterarum est, sed artium futilium atque ignavarum, quae tamen elegantiae speciem praeseferant, ministerio confarcinata. — At sunt fama, velut pius Aeneas, super aethera noti! Clarissimos, aut si mavis celeberrimos, omnis scriptorum turba praedicat! Ad horum

rum gloriam non adspiremus? hos non colendos imitandosque impensius nobis censeamus? Ego quidem haud existimo. Nam et claritatem nominis saepe adipiscuntur ii, quos ignobile in obscuritate aevum agere praestabat; et magnae potius famae homines, quam bonae, quod de *Flacio Illyrico* dici meminimus, quid habent quo te carere indigneris? Scio equidem, quam insidiosa sit, ple-
rorumque mentibus, celebritas, in viris doctrina eminentibus spectata. Hanc extremam laborum metam ponunt, felices opinione, aut potius errore suo, si in ore omnium versentur. Liberales igitur sumus, et faciles. Concedamus iis, qui famae acquirendae studiosissimi sunt, ut claritatem ab illis discant aucupari, quibus ea non quaesita quasi per vim fuit, sed comes eximiae lateque disertae doctrinae, sponte obtigit.

Neque vero hoc silentio tegendum mihi videtur, *Audidores*, aemulationem rite conformatam, non in sola doctrina eruditorum hominum haerere, verum ad eorum quoque virtutes propagari. Pulchrum est, ad eundem scientiae perfectae gradum emergere, quem praestantissimi viri occupaverunt; at longe pulchrius, ad eandem laudem probitatis, modestiae, humanitatis denique, (quo vocabulo bona omnia homine digna complector,) pertingere. Illud vulgo primum concupiunt; hoc serius, ac saepenumero ne per somnium quidem.

Vtinam

Vtinam vero hanc sibi certam legem scriptam esse existiment, qui aemulatione accensi feruntur, pugnam sibi institutam esse cum ingeniis aequalium, non cum animo! Absit enim, necesse est, ab his studiis vehementioribus; prona ad captandas inimicitias voluntas; nec exasperata in mutuos successus mente certetur: sed coniunctis quodammodo viribus, et salva amicitia.

Fateor, *Auditores*, et invitus fateor, duo illa *Graeciae lumina*, quae supra commemorando produxi, non aemulos tantum se invicem gessisse, sed etiam inimicos; donec superatus *Demosthenis* et eloquentia, et causae integritate, *Aeschines*, cedere, et migrare Rhodum cogeretur. Tamen, hic ipse infensissimus Demostheni aemulus, gloriam eius publice, ingenua confessione, exul celebravit. Illustrius ad imitandum exemplum, illa inter Ciceronem et Hortensium contentio praebet. Quam alieni ab odiis fovendis fuerint, vel ille Tullii in Bruto locus, scriptus mortuo Hortensio, indicat. *Dolebam*, inquit, *quod non, ut plerique putabant, adversarium, aut obrectatorem laudum mearum, sed socium potius et consortem gloriosi laboris, amiseram.* Sed quomodo factum sit, ut concordēs viverent, qui perpetua dissensionum semina alere videbantur, in vita Attici docet *Cornelius Nepos*. Erat Attico summa cum Cicerone et Hortensio familiaritas, ita ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret. Hac igitur, ad moderandos eorum animos, utebatur, efficiebatque, ut inter quos tan-

tae

tae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula. Callide autem multi invidiam aemulationis nomine occultant, et simultati adversus optimos viros, vitaeque genere sibi iunctos, conceptae, imitationis acerrimae speciem praetexunt. Hos ipsi mores improbae malevolentiae convincunt, lingua autem etiam redarguit. Itaque verbum de iis non addam, nisi ut omnibus spernendos tales fugiendosque tradam.

Adhuc *de natura et finibus aemulationis* dixi, *Auditores: quibus ea potissimum accendatur rebus*, nunc deinceps dicturus sum. Hic vero primum locum exempla obtinent, quae vocant domestica. Quis enim dubitet, gravissimos stimulos maiorum virtutes addere nepotibus. Hinc illa Andromaches apud Maronem iustissima expectatio de Ascanio:

Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles,

Et pater Aeneas, et avunculus excitat Hector?

Proavi nostri, omni laude condecorati vixerint; nos, turpi desidia, et repentibus humi viribus, hanc gentis nostrae claritatem obscurabimus? Hanc mentem esse oportet iis, qui parentibus, optime de publica re civitatis aut litterarum meritis, prognati sunt? Has tales cogitationes, generoso inprimis sanguine orti secum volvant necesse est, sciantque, *nobilem, nisi qui facta maiorum illustria imitetur, et quasi restituat, esse neminem*. Atque hinc quoque patere arbitror, celebrium inter doctos virorum filii, egregium, cum ipsa nativitate, ad litteras amandas auctoramentum propositum esse.

C

Aliud

Aliud aemulationis alimentum, idque uberrimum, historia litterarum suppeditat. Non haec illius opportunitas, non hoc addiscendae argumentum praecipuum est, quod, quo quisque eruditorum hominum tempore vixerit, quos libros condiderit, et alia huius generis, doceat; sed quod sui studiosis summa cuiusque aetatis ingenia ostendit atque commendat. Haec qui intueri curatius possit, nec ad imitandum commoueat, stipes sit oportet, et inutile terrae pondus. Sane immortalia praemia, quae doctissimis viris historia tribuit, calcar addunt posteris, eosque cupidine parium honorum implent, non, nisi paribus laboribus, consequendorum.

Sed cur excitandae inter Musarum amicos aemulationis subsidia e longinquo arcesso? praefens exstat in hac colendarum litterarum arctissima societate, quam Academiae nutriunt, et florentem servant. Hic, ubi et adultae ac paene consummatae doctrinae viri, et alii longum iam iter cursu honestissimo emensi, nec tamen remissiores hac contentione facti, et Iuvenes ad easdem laudes alacriter properantes, denique et adolescentes, timidiuscule quidem, sed optimo animo, idem stadium ingressi: hic, inquam, ubi tot laeta flagrantissimorum studiorum exempla spectantur, tardus esse, et torpere in mediis motibus, quis possit? Imo et qui somnolento sit ingenio, concitetur necesse est, ad audendum, quid valeant humeri, quibus certaminibus sufficiant? Non patiuntur eorum, qui nos circumstant, sive aequales, sive dignitate maiores sint, ut in imis gradibus subsistamus; ad se nos vocant, secum quasi trahunt, et ut

com-

communi studio enitatur, cogunt potius, quam hortantur. Honores autem, meritaque laudes, quae ultro haec exempla sequuntur, simul et impellunt spectatorum animos, et in proposita contentione confirmant; spem vero dulcissimam, similibus munerum olim nanciscendorum, gignunt.

Satisne Vobis, *Auditores* omnium Ordd. honoratissimi, hac ipsa levi adumbratione earum rerum, quas non scire Vos, sed sentire melius, certum est, demonstratum videtur, quam sit necessaria atque utilis in republica litterarum aemulatio, inprimisque, quam sit virenti annis et viribus aetati commendanda.

Sit haec perpetua Academiae nostrae felicitas, ut in ea nullo unquam tempore desideres, qui pari incitamento ad litteras diligendas, atque ornandas, ferantur. — Atque huic inter litterarum cultores alendae sustentandaeque aemulationi, providit, novamque viam aperuit, *Celsissimus* PATER TVVS, IABLONOWI, *Princeps Celsissime*, quem me, ex hoc loco, civem nostrum, in inclutae gentis Iablonoviae, in decus litterarum, inque huius Academiae laudem et gloriam, pulcre succrescentem, posse compellere, vehementer, et ex animo laetor. Habes, quem aemuleris, magnum *Patrem Tuum*, nobilitate generis, doctrina, virtute, vere magnum! Hic, instituta in hac litterarum Vniversitate, societate litteraria, praemiisque insignibus propositis, liberaliter et ipse cavet, ut ne quando aemulationis vis inter doctos homines, aut infirmaretur, aut intercideret. Est hoc monumentum omni aere et marmore perennius, quod, quoad erit honos litteris, Iablonoviani nominis gloriam,

ad omnem posteritatem transmittet. Dent Ei superi vitam longaeuam, quam meretur, seruentque mentem, quam deriderunt. — Atque haec etiam uestra causa dicere me oportuit, *Ciues carissimi*, ut sciretis, quem, et qualem Virum, in sinu nostro foveremus, qui summo loco, in excelsa fortuna constitutus, quem innatum sibi litterarum amorem prima iam aetate sensisset, eum adhuc seruat intemeratum, et tuetur. — Talis exempla litterarum amoris et studii nil aliud gignere in animis uestris, *Commilitones*, poterunt, quam ut omnibus modis, quantum doctrinae tribuatis, et moribus omni vita academica ostendatis. Ad hanc laudem invitant vos etiam *Statuta et leges Academiae*, paucae oppido, sed omnino tales, quibus paruisset, atque ultro obtemperassent, nunquam vos poeniteat. Eas nunc praeleget *Academiae Actuarius*, quem vos, pro uestra modestia, attente audietis.

His legibus stetit haec studiorum Vniuersitas, aliquot Saeculis, carissimi ciues; et stabit, providente Deo, sub tutela Serenissimi Electoris, quem Deus seruet; tuebiturque illam veterem gloriam, etiam a uestra, *Commilitones*, doctrina et moribus petitam. Valete.

Nil superest, quam ut Inclutarum IV. Nationum Seniores rogem, ut, qui in partes curarum Recturae meae veniant, mihi deligant viros eos, qui, periti rerum Academicarum, in iure dicendo, tuendisque Academiae iuribus, consiliis me suis, in Publico Consilio, iuvent, et confirment.



*de emulatione inter doctos utili et necessaria
finalq; de instituta a Principe Jablonovio Societate lite-
na. in Acad. Sept. et premiis ab eo propositis*

nr. 229.

CAROLI ANDREAE BELII

CONSIL. AVL. ET POES. PROF. PVBL.

YC
7491

ORATIO

HABITA


CVM

x 2311191

ACADEMIAE RECTVRAM

CAPESSERET

ANNO MDCCLXXVI.



LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA

